

B. M. II, 134.

h. 35, 5.

X 1880764

Q. D. C. S.



DISPUTATIO POLITICA

DE

JURIBUS

Majestatis,

Quam

Benevolo SUPERIORUM Permissu,  
in Illustri SALANA;

PRAESIDE

CL. VIRO

DN.

M. JO. MICHAELE *Schwimer* /  
Facultatis Philos. Adjuncto,

*Publicae disquisitioni submittit*

HEINRICUS CHEWALDE,

BUDISSINUS,

AUTOR - RESPONDENS.

*Ad diem Aprilis*

Q. E. A. C. clō Ibc LXXII.

JENAE, Litteris WERTHERIANIS.



1372

0.0.0.0

BIBLIOTHECA

LIBRARY

UNIVERSITY

UNIVERSITY



UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY

UNIVERSITY





1383



I. N. J.  
EXERCITATIONIS POLITICAE,

De

# JURIBUS

## Majestatis,

### Praeloquium.



Non scitè minùs, quàm  
convenienter rei, sapientes, Ma-  
jestatem secularem delineaturi,  
pingunt sceptrum, in quo mul-  
ti oculi, cui superscriptum lem-  
ma: *His praevidet & providet.*

Quibus oculis etsi convenientissimè Magistra-  
tus inferiores indigentur, quos per, velut suos  
oculos, Majestas prospiciat toti territorio, atque  
prudentiae Majestaticae radios visorios quasi  
in omnes terrae suae angulos diffundat, omni-  
umque actiones dirigat ad debitum suae rei-  
publ. finem, sicut hinc Reges Persarum & Baby-  
loniorum bellè dudum suos ministrissimos,  
Consiliarios & Proceres vocarunt suos oculos,  
aures suas, manusque, quibus munus suum im-





1324  
peratorium exercerent, per totam civitatem;  
nihilominus nec incongruè videbimur eodem  
emblemate uti pro Majestatis Juribus declaran-  
dis. Quid enim aliud est Majestas, quàm  
quiddam ex variis potestatibus aggregatum,  
aut sceptrum plenum oculis, quò Princeps o-  
mnes Civium Ordines disponat, recta praeci-  
piendo, prava prohibendo, adeoque ut curet  
omnia in Civitate obvia objecta, quibus dire-  
ctis & observatis salus civitatis possit promove-  
ri? Quum enim Rex legis figendae & refigen-  
dae exerit potestatem; oculus ejus est, quò pru-  
denter praevidet & providet; Cum constituit  
Magistratus inferiores; oculus ejus praevidet  
& providet Civibus: Cum item exerit Jus mit-  
tendi legatum, providet itidem ipsius sceptro  
oculato civitati: Cum pariter disponit circa re-  
ligionem, quid, *quaeso*, aliud etiam est quàm  
oculus prudentiae?

Quae materia, cum sit summè utilis, consti-  
tui mecum, doctrinam De JURIBUS MAJE-  
STATIS discursu politico proponere, eundem-  
que exponere examini publico. Quod cona-  
men meum, ut felix faustumque sit, faxit Ma-  
jestas, quae in coelis est, & universo praest, cle-  
mentissimè!

ME-



1325

MELETEMA I.  
Majestas est summa ubique in Civitate  
Potestas.

§. I.

**S**IC ARISTOTELES eam definit lib. II. de Rep. cap. VI. & VII. Cujus definitionis sensus, ut dicamus rem breviter, hic est: Majestatem, *abstractivè*, h. e. *citra subjectum connotatum, cui insit*, acceptam, esse potestatem moralem, eamque independentem, i. e. quae in terris superiorem non agnoscat, à cujus arbitrio actus ipsius sub censuram jure vocari, multò minus irriti reddi, queant, interprete HUGONE GROTIUS Lib. I. de J. B. & P. c. III. n. 8. sicque, in ordine ad alias civitates relata, paritatem importet, notante optimè *Excellent. THOMASIO Tab. XLVIII. num. V. Philos. Practic.* simulque summitatem in ordine ad potestates morales alias in civitate obvias; ut sic & positivè & negativè summa potestas haec explicari debeat: Esse etiam talem potestatem, quae circa objecta quaevis modò in civitate occurrentia se exerat, insinuatur, quò sensu extensivè & in plenitudine etiam considerari solet, & varias potestates, tanquam partes, importat.

MELETEMA II.

Est ergo Majestas aliquod totum.

§ II Majestas, si verbo dicendum quod res est, nihil aliud est, in ordine ad objecta moralia, quàm complexus potestatum moralium, dum, pro varietate objectorum, qualia sunt v. g. vel sacra vel profana, *religio, moneta, Magistratus inferiores, Leges, vectigalia, extrema provocatio, bellum, fœdus, Legatus &c.* varia emergit potestas,



1326  
testas, quae pars Majestatis appellatur, sicut & reliquae potestates partes vel Jura Majestatis dicuntur usitatissimè.

§. III. Quum verò *Totum* sit varium, scilicet vel (α) *integrale*; vel (β) *Essentiale physicum*; vel (γ) *Essentiale Metaphysicum*, vel (δ) *Potestativum*, vel (ε) totum denique *universale*; dispiciendum, quale sit Majestas, quales itidem talismodi variae potestates sint partes?

### MELETEMA III.

Majestas est totum integrale.

§. IV. Totum *integrale* aliàs propriè est, cujus quantitas constituitur quantitate suarum partium; adeoque hoc datur in materiâ physicâ; haec verò quia constitutionem rerum moralium non ingreditur, non erit Majestas totum integrale propriè dictum.

§. V. Quia tamen totum integrale, pro diversitate quantitatis, bifariam sumitur (dum quantitas duplex est) scilicet (α) ratione quantitatis molis, integrale propriè sic dictum dicitur; (β) ratione quantitatis virtutis seu perfectionis, integrale totum κατ' ἀναλογίαν solùm tale,) sciendum, quod Majestas sit totum integrale, posteriori significatu solùm tale. Cum enim & quantitate partium quantitas totius hujus, h. e. virtute morali (aliò sensu sumta voce & prout virtuti naturali contradistinguitur) seu potestatibus singulis constituatur potestas, quae est ex potestatibus quiddam aggregatum, quaeque Majestas vocatur, rectè totum integrale dicitur.

§. VI. Quia tamen totum integrale iterum est duplex; vel (α) *similare*, cujus partes sunt ejusdem rationis &



1327

nis & nominis inter se; vel ( $\beta$ ) *disfimilare*, cujus partes sunt diversae rationis & nominis inter se; idque valet, cum de toto integrali propriè dicto, tum de toto integrali analogicè solum tali; sciendum insuper, quod *Majestas sit totum integrale analogicè tale, disfimilare*, quia jura Majestatis, quae ejus partes sunt, distinguuntur inter se, ut videtur, specie, ob diversitatem connotatorum objectorum politicorum, specie ab invicem differentium. Alia quippe est potestas circa leges fingendas & refigendas, alia potestas circa tributa, alia circa bellum, alia circa sacra, alia circa Magistratus inferiores &c. Nec nobis invitis fieret, si quis potestatem, quamlibet, ratione circumstantiarum, ita vel ita subdividere velit, dum actus exercendi variant.

#### MELETEMA IV.

Majestas in jura majora & minora, tanquam partes, dividitur.

§. VII. Dividitur autem totum hoc in suas partes variè, & quidem (1) in *partes* potiores seu nobiliores aut *principales* & ignobiliorese seu minus *principales*: illas vocant *regalia majora*, has verò *minora*: illa etiam primi ordinis, haec secundi ordinis dicuntur. *Majora* iterum vel ( $\alpha$ ) latius, vel ( $\beta$ ) strictius capiuntur; *strictius* sumta sunt, quae immediatè ipsum statum, hujusq; administrationem concernunt. Dicuntur haec aliis *Regalia praeceminentis dignitatis & potestatis*. Hinc, in oppositione, *Minora* sunt, itidem strictè loquendo, quae non praecisè immediatè statum ipsum ejusque administrationem concernunt, sed alia, quae statui hujusque administrationi inserviunt. Haec dicuntur aliis *Regalia utilitatis*, item *regalia fisci & ararii*.

§. IIX.



1328  
§. IX. *Majora* quidem & *minora* non videntur dici ratione essentialis cum toto diviso connexionis, quasi scilicet *majora* sint, quae salva Majestatis essentia ab eâ abesse non possint; *Minora*, quae salvâ ejusd. essentia possint abesse: Quemadmodum enim Majestas aggregatur ex partibus omnibus, ita nulla pars, salva aggregationis integritate, ab ea abesse potest; Sed ita dicuntur ratione dignitatis objectorum, *majora* scilicet, quae circa objecta digniora; *minora*, quae circa objecta minus digna occupantur.

§. IX. *Majora* etiam, ut patebit, distinctius subdividentur meritò in *immanentia* & *transeuntia*, prout totum, nempe Majestas, vel ad extra vel ad intra spectatur. Majestas quippe etiam sumitur (I) cum relatione ad intra h. e. prout intra civitatem praecisè se exerit atque adeo erga & in Cives subjectos, inque objecta politica quaevis, finem civitatis isto modo concernentia; (II.) cum relatione ad extra, h. e. prout consideratur, ut se exerens erga civitatis alterius Majestatem, & cum aliâ civitate rem habet; Ita etiam Majestas in Regalia *immanentia* & *transeuntia* dividitur: illa priori acceptioni respondent, haec posteriori, seu quum ad extra consideratur. Priori illo sensu etiam Majestas dicit Summitatem: Posteriori autem paritatem.

§. X. Notetur autem, quod vox *Regalia* hîc capiatur, non in strictissimo illo significato, quo certa quaedam emolumenta regia notat: neque in stricto, quo notat Jura Majestatis *Regiae* praecisè, atque adeo exercitia summi Imperii cujusdam, quippe in quo magis eminere videtur, quemadmodum vox *Regale* à Rege originem habet; sed in latiori sensu, quo cujuslibet majestatis jura notat, sive Regia, sive Aristocratica, sive alia etiam  
sic



1329  
sit Majestas. Et hoc in sensu latiori haecenus consuevit  
frequenter usurpari.

§. XI. *Regalia Transeuntia* sunt partes Majestatis  
circa objecta, ad aliam civitatem terminata, se exerentes  
in salutem civitatis, qualia vix plura dantur quàm tria;  
scilicet (I) *Jus belli & pacis*, cum nulla Majestas cum ci-  
vitate, propriè loquendo, bellum gerat, etsi bellū quidem  
intestinum vulgo dicatur, dum, *propriè & accuratè lo-  
quendo*, solūm est tumultus & seditio, ubi subditi arma  
tollunt contra Majestatem, ut propriè jus belli transeat  
ab unâ Majestate, ratione exercitii, ad alteram Civita-  
tem, quippe qua cum propriè bellum gerit.

§. XII. (II) *Jus mittendi Legatum*; Nec enim pro-  
priè Majestas ad subditos legatum mittit, sed ad aliam  
pariter Majestatem, ut exercitium hujus juris transeat ex  
civitate suâ ad aliam: Quum enim Magistratus summus  
mittit ad suos subditos, non, *strictè loquendo*, Legatus, sed  
Commissarius est; (III) *Jus foedera pangendi*, dum simi-  
liter Majestas cum aliâ Majestate solūm propriè foedus  
pangit.

§. XIII. Vocantur autem haec *Regalia transeun-  
tia* alias etiam *Regalia equiparantiae*, eo, quod paritatem  
insinuet Majestas, quando ad aliam Majestatem refertur:  
sicut Regalia immanentia dicuntur etiam Regalia *dis-  
equiparantiae*, quod ad inaequales personas, quippe infe-  
riores, tanquam subditos, ipsa referatur, cum immanen-  
ter se exerit.

§. XIV. Neque me latet, ab aliis tertium mem-  
brum hisce duobus dividendum addi, scilicet *reflexum  
Regale* in personam Majestaticam. Dicunt enim, Maje-  
statem spectari posse (I) in ordine ad aequales, seu ad ex-  
tra, & sic eam esse transeuntem: (II) In ordine ad inae-  
B qua-



1330  
quales, ad inferiores, seu civitatem, cui praeest persona  
Majestatica, & sic eam esse immanentem. (III) Prout in  
se ipsum se exerat, quomodo *Regale reflexum* dicunt,  
dum summa seu plena libertas dicitur esse, posse sibi ipsi  
adimere libertatem, quod fit, quum majestaticâ digni-  
tate se quis spontè abdicare solet, & ad statum privatum  
redit, etiam ubi Majestas non est ambulatoria, vid. HU-  
GO GROTIUS *de J. B. & P. lib. I. c. III. n. 3.* item GOMEZIUS  
*lib. II. de potestate in se ipsum c. XVII. n. 1.* Idem Excell.  
THOMAS. *Tab. XLIX. n. 4.*

§. XV. Majora, latius accepta, triplicis classis et-  
iam constituuntur, ut ( $\alpha$ ) quaedam sint *ex plenitudine po-  
testatis*, seu ex praeceminentiâ potestatis; quaedam ( $\beta$ )  
*ex altitudine dignitatis* s. ex praeceminentia dignitatis:  
Quaedam ( $\gamma$ ) *ex magnitudine utilitatis* vel ratione do-  
minii utilis universalis.

§. XVI. Primae classis majora *transeuntia* ( $\alpha$ ) a-  
lia sunt, alia ( $\beta$ ) immanentia. Transeuntia sunt (I) Jus  
Belli & Pacis (II) Foederis pangendi (III) Legationis, ut  
vidimus. *Immanentium* verò est amplissimus nume-  
rus, & *proximè*, ratione *objecti*, in *sacra*, s. *Ecclesiastica*;  
Et *profana*, seu Politica, dividi possunt, licet ratione for-  
mae omnia sint politica.

§. XVII. ECCLESIASTICA, quomodocunque se  
habeant, concernunt solùm externam circa sacra dis-  
positionem & paedagogiam, non ipsam conscientiam,  
vel ipsos articulos fidei, vel fidem imperandam, cum  
haec sit res arbitrio humano exempta. Referuntur au-  
tem ad Jurium seu Regalium Ecclesiasticorum, qualia  
ad Magistratum civilem summum spectare ARISTOTELES  
*Lib. VII. Polit. c. IIX. & Lib. VI. ibid. c. IIX.* docet, ordi-  
nem



1371  
nem cumprimis (α) JUS SUMMUM PATRONATUS,  
de quo versus :

*Patronum faciunt* : DOS, AEDIFICATIO, FUN-  
DUS.

Ubi per *fundationem* assignationem fundi significant,  
in quo scilicet Ecclesia plantanda seu excitanda. Sub  
*aedificatione* etiam reaedificationem innuunt, eamque  
totalem: Sub *dote* indigitant dotationem, quae statim  
ab initio fundationis facta. Et haec ad Majestatem per-  
tinere, PHILOSOPHUS *citatis in locis* clarissimè innuit.  
Sunt ergo sacra ratione dignitatis objectum nobilissi-  
mum, & inde etiam Regale circa ea. Ubi quomodo  
duret Patronatus Jus, vel item conservetur, quando  
etiam cesset, supersedemus dicere studiò. Illud autem  
dicimus, Patrono debere honorem in statione, confes-  
su & incessu sedeque in Ecclesiâ. Unde ulterius sunt  
versus :

*Patrono debetur honos, onus, emolumentum ;  
Praesentet, praesit, defendat, alatur egenus.*

§. XIIX. Etsi verò *Jus Nominandi & Praesentandi*  
hic involvatur circa constituendum Ecclesiae mini-  
strum, rectè nihilominus *Max. Rever. D. D. JO. MUSÆUS*  
*in praelection. LL. MSS.* docuit, vocandi Jus ministrum  
Ecclesiae pertinere ad totam communitatem, adeoque  
ut & ceteri ordines suum conferant, scilicet Majestas  
nominet, & praesentet, populus vocet, vocationis voce  
pressius sumtâ pro potestate collata docendi ; Ordo  
clericus ordinet. videatur etiam hac de re *DAN. BERKRIN-*  
*GERUS lib. I. Instit. Polit. c. V. §. 5.* ratio est, quia *quod ad*  
*totam communitatem spectat, illud à totâ communitate*  
*est constituendum ; Atqui Minister Ecclesiae ad totam*  
*communitatem spectat.* Ergo &c.

B 2

§.XIX.



§. XIX. Huc spectat ordinariè *potestas prohibendi haereses & haereticos*, qui scilicet, juxta Theologorum effata, in fundamento religionis errant; alii licet, qui circa fundamentum ejus solum errant, minus peccent. Solent enim *haereticos* considerare dupliciter (I) *positivè*, & sic haereticos vocant (1) *Errones*, qui sibi tantùm malè sentiunt, & nec scripto, nec dicto nec facto haeresin promunt. (2) *Zelotas*, putantes, se perseverando in suâ haeresi, DEO gratum facere. (3.) *Manifestos haereticos*, suam haeresin publicè profitentes, dictis, factis scriptisque, (4) *Contumaces*, non patientes se doceri meliora. (5) *Turbones*, qui per turbas populum reddunt in religione titubantem. (II) *Negativè* qui (1) sine haeresi circa fundamentum, non in fundamento, errant (2) qui nunquam in Ecclesiae sinu fuere, neque veri DEI nomen professi. Sed haec Dnn. Theologis relinquenda sunt.

§. XX. Refertur huc *potestas tolerandi religiones*, item *potestas immutandi eas*: *potestas* item dirigendi ad media religionis, adeoque & disponendi circa externam disciplinam ceremonias, dies certos, rationem aliam, quantum ad paedagogiam: *potestas* quoque consistoriorum & consistoriorum eò refertur.

§. XXI. Deinde Regalia majora primi Ordinis etiam (primitate naturae quidem primo omnium loco) spectat *jus Legis* qua figendae qua refigendae qua authenticè interpretandae. h. e. ut interpretatio vim parem cum lege habeat, non autem de interpretatione doctrinali, quæ Jurisperitorum est, neq; de usuali ex consuetudine legum desumpta, loquimur. Hoc Jus legis figendae & refigendae etiam exercetur mediatè, mediante Jure naturae, in ipsas conscientias subditorum. Pertinet autem

tem



137r  
tem etiam huc *potestas aggratiandi*, hoc est, veniam indulgendi transgressoribus legum, uti Jus exaggerandi, & sumendi poenam de iis; quo de paulo inferius plura.

§. XXII. Pertinet huc proximè Jus *privilegium conferendi*, sive sit togatum sive sagatum: sive item personale, sive reale, sive revocabile, utpote vel ex culpâ vel ex causâ, sive irrevocabile, uti habet ob merita conceptum & per modum contractus datum, adeoque sive temporarium sive perpetuum. Qui enim potestatem legis ferendæ habet, habet & potestatem ab illâ lege aliquos excipiendi, atque adeo tollendi obligationem in lege aliâs sitam, cum privilegium nihil aliud sit, quam exceptio personæ ab obligatione legis, integra manentis, à Majestate indulta.

§. XXIII. Ad majora primi ordinis etiam pertinet *Jus Magistraturæ*, quod est potestas constituendi magistratus eosque vel immediatè & proximè vel mediatè & remotè. Illo modo magistratus majorum gentium, ut vocantur, constituit; quos velut oculos suos, aures manusque habet majestas, per quos regat alios. Hòc verò minorum gentium magistratus, qui sunt priorum quasi pedes, & iis proximè à Majestate constitutis ab officiis, vel ab iis diriguntur ad salutem civitatis promovendum: Sunt vero, juxta ARISTOTELEM, *MAGISTRATUS socii civitatis, quibus consulendi de quibusdam & judicandi & præcipiendi, atque hoc quidem maximè, collata est facultas*, vid. *lib. IV. de Rep. c. XV.* item BESOLDUS *lib. II. Polit. c. III. n. 3.* sive sit Magistratus scholasticus, ut PROFESSORES in Academia, & Præceptores in scholis aliis; sive Ecclesiasticus in Ecclesiâ; sive Politicus in specie; sive etiâ sit temporarius, sive perpetuus. Observetur modo in ejus constitu-



1333  
tione dignitas civilis naturalis, nempe virtus, & quidem,  
qua alios feliciter in debitum finem regere queant. Vid.  
hac de re Celeberr. THOMASIIUS *Tab. XL. & XLI, Philos.  
Practicae.*

§. XXIV. Pertinet huc proximè ad jus Magistraturae regale *universalis iudicaturae*, ubi Majestas, tanquam supremus Judex, iudicat omnia recipiendo causas pendentes in foro inferiori; Cui & annectitur meritò *jus extremae provocationis recipiendae*, quo Majestas ab inferioris curiae proceribus causas, non sufficienter examinatas & iudicatas, resumit. Id quod pariter in salutem Civitatis tendet, dum ab injuriis inferiorum iudicum (*uti quandoq; habent*) cives sic liberari possunt. A quo summo Capite, qui provocat ad aliud summum caput, dicitur ferè committere crimen laesae Majestatis, quam à Principe non satis in causâ informato ad melius informandum fortassis provocare liceat.

§. XXV. Spectat huc, *ad majora primi ordinis regalia*, etiam *jus vitae & necis* civium, quod est potestas statuendi secundùm jura naturae circa vitam necemve civium in finem connaturalem civitati obtinendum. Hoc importat jus (I) *de fontibus supplicia sumendi*, factâ tamen prius, (α) *justâ accusatione* (β) *apertâ convictione*, & (γ) *deliberatâ condemnatione*, ne temerè vita, tanquam res pretiosissima, civi eripiatur, ut & omnia in tam gravi negotio decenter fiant. Unde & in specie dicitur hodiè *jus gladii*, pro quo significando olim Consulibus Reip. Romanae secures à lictoribus praeferebantur, sicut Imperatoribus postea gladius: (II) *Potestas defendendi innocentes* innuitur. Hinc ut civis insons pro civitate suâ manu & praesidio sibi vitam adimat, vix importabit, cum juri naturae non obscurè reclamet. (III) Dicit nihilo-  
mi-



minus potestatem adigendi Cives ad pericula, urgente necessitate, adeundum.

§. XXVI. Pertinet eò pariter Jus ASTLORUM, quò qui sine proaeresi & affectu odii casuve deliquerunt, contra violentiam privatam confugerent. Et hoc exercebatur olim in *Ἰεουραγία* Ebraeorum, uti ab ipso DEO praeceptum. Quò tamen impunè non poterant confugere homicidae *ἐκ τῆς ἀεργουρέσεως* delinquentes, quum & tales ab altari justè rapi & capite plecti soliti.

§. XXVII. Nec incongruè refertur etiam huc Jus AGGRATIANDI vel, ut alii vocant, RELAXATIONIS poenariae, quo Majestas ex potentiâ absoluta morali criminis patrati reum absolvit, vel vitam condonando, vel omnem poenam auferendo à reo, sicut quandoque jus hoc peculiariter reservatur, uti Exemplo CAROLI V. constat, Senatui Mediolanensi potestatem ferè regiam indulgentis, nihilominùs gratiam servatorum sibi soli acceptam referri, jubentis.

§. XXIX. Pertinet porrò ad majora regalia primae classis Jus BELLI ET PACIS, quo Majestas vel bellum infert, vel illatum propellit, fortalitia seu castella exstruit, pacem init, dum Jus pacificationis cum eo immediatè cohaeret. Est autem BELLUM *status per vim certantium, qua tales sunt*, uti HUGO GROTIUS de J. B. & P. l. V. c. 3. definit; ubi per vim *exercitum* intelligit GEILFUSIUS, in *Enchirid. pol. p. m. 315.* & idem *ibidem Exercit. VI. p. 172.* Bellum dicit esse disfidium violentum hostium publicorum apertâ vi ad arma proruentium. Pertinere autem tale Jus ad majora Jura Majestatis, innuit partim (a) *auctoritas* ARISTOTELIS l. 1. de Rep. c. IIX. partim (β) *recta ratio*, quum illud omninò palmariè ad Majestatem spectet, unde vel salus vel interitus toti civitati im-





1335  
imminet. Est verò & PAX cessatio seu finis belli, facta salutis publicae causâ.

§. XXIX. Cum hoc connectitur proximè, inter Regalia majora primi etiam ordinis, JUS MITTENDI LEGATUM; hoc enim opus esse ad bellum indicendum & pacem ineundam, quis est, qui non novit perinde, uti circa foedera pangenda? vid. D. D. JOH. à FELDEN. in notis & animadvers. ad Lib. II. Hug. Grotii c. XLIX. de J. B. & P. p. 391, 392. Mittit autem Majestas, ut supra innuimus, ad externos seu aliam Civitatem propr. Legatos, non ad suos cives, inde etiam Jus seu Regale Transiens esse, dictum est ibidem. Notamus hic, legatos esse sanctos seu inviolabiles, ut, missi ad hostes, sint tuti, nec ut hostes tractari debeant, idque Jure Gentium vid. HUGO GROTIUS de J. B. & P. L. II. c. XLIX. n. 6. Est autem inviolabilitas haec non absoluta, cum, si peccent in civitate, ad quam mittuntur, salutem publicam, dicant, eos non amplius sanctos; ubi verò delinquant delicta privata, tunc dissimulandum, vel jubendi statuuntur exire finibus, aut puniendi suis mittentibus relinqui. vid. Celeberr. D. D. CASPAR ZIEGLERUS in notis ad Hug. Grot. cit. locum p. 416. JOH. à FELDEN in notis ad Hug. Grot. cit. L. II. cap. XLIX. p. 391.

§. XXX. Datur autem primò admissio circa Legatum, qua Legati suam salutem credunt ei, ad quem missi sunt, alter verò securitatem pollicetur, sive expressè, sive tacitè, vid. D. D. JOH. à FELDEN cit. loc. Securitas itaque quae conferenda Legato, non ex privilegio, sed ex Majestate concessa est, quam ipsi induit mittens, benè notate, pro more quidem suo, Excellent. D. D. ZIEGLERO cit. loc. p. 415. Etsi nec tanta sit Majestatis collatio, ut & jurisdictionem Legatus exercere queat, dum tanta tantum est, quan-



1536.  
quanta in collatione ad extraneam Majestatem sufficit.  
vid. haftenus *Idem ibidem p. 419.*

§. XXXI. Eodem pertinet (nempe ad jura majora primi ordinis) **JUS PANGENDI FOEDERA**, quod ad transeuntia pertinere, etiam supra dictum. Sumitur autem **FOEDUS** (ut de Etymologia non solliciti simus sive à ferendo sive à fide cum **VARRONE** deducamus) vel *generaliter*, vel *specialiter*: *Generaliter* (1) pro *quovis pacto*, quomodo etiam inducias & pacem complectitur. (2) pro *quâlibet conspiratione* illicita; (3) prout omne foedus *miserabile* includit, quod aliàs deditium dicitur: idque etiam vel (a) fit in modum supplicum sine pactione, ubi dediti in arbitratum eorum veniunt, quibus se dedunt, uti *Advatici* olim se dedebant *J. Caesari*, quo in casu arma abjicere & tradere solent, abeuntes solum cum vestibus & certis nummis, vid. **LIVIVS Lib. XXII. & XXIII.** vel (β) fit conservatâ civitate, si fiat deditio antequam aries murum percusserit. Hac de re **PETRUS GREGORIUS THOLOZANUS lib. XI. de Rep. c. XI. n. 7. p. 408.** videatur. (4) pro *pactione inter Superiorem & inferiorem!*

§. XXXII. **SPECIALITER** verò definitur **D. D. BALTH. CELLARIO in Tab. XII.** quòd sit conventio publica inter eos, qui summam potestatem habent, aut minimum hoc majestatis jus. Alii, sensu parum dispari, sic hoc sensu definiunt, quod sit pactum publicum diversarum rerum publicarum solenniter factum, de auxiliis & quibusdam aliis sibi mutuò præstandis. Quæ verò sint solemnia, olim usitata, legitur etiam *Gen. XV. 9. 10.* item apud Romanos scriptores, ubi inter saxum & sacrum stare soliti, quæ hîc diducere, chartæ angustia non patitur, videantur omninò aurea apud *Magnif. & Max. Reverend. D. D. JO CHRIST-FRIED. SAGITTARIUM disput. IV. OTII JENENSIS c. III. p. 124. seqq.*

C

§. XXXIII.



§. XXXIII. Dividitur autem FOEDUS variè, & quidem (1) in REALE, quod alii perpetuum vel æternum, item *fœdus salis* vocant, vid. CHRIST. MATTHIAS *in Coll. poster. Antiphot. Exercit. IV. Th. 26. 27.* quale per formulam fit præsentem: *UT ETIAM AD POSTEROS TRANSEAT*; benè momente THOLOZANO *l. XI. de Rep. c. XI. n. 9. p. 409.* ad cuius benè esse facit renovatio. Tale immeritò impugnat HOENONIUS *Disp. XIII. Pol. th. VII.* & PERSONALE seu temporarium, quod ideò magis personas contrahentes, quàm Respublicas concernit. vid. D. D. CELLARIUS *c. XIII. Pol. succinct. §. X. p. 247.* Addatur BESOLDUS *lib. II. Polit. cap. VI. n. 36.* PERSONALE & REALE iterum est vel ( $\alpha$ ) *offensivum*, i. e. quo junctis manibus adstringant se pangentes aggredi hostem, vel ( $\beta$ ) *defensivum*, quo iidem viribus junctis se invicem velint contra illatas injurias vel inferendas defendere.

§. XXXIV. Utrumque itidem est porrò vel æquale vel inæquale. *ÆQUALE* etiam est vel (1) ratione *subjeçti* seu pangentium, & eminentiæ, vel (2) ratione *objeçti* & præstandorum tale. Ratione *objeçti* iterum æquale bifariam habet pro varietate æqualitatis, quæ vel Arithmetica vel Geometrica: *ÆQUALE æqualitate arithmetica*, sive defensivum sive offensivum sit, est, quo adstringuntur pangentes ad numerum militum parem conscribendum. V. g. ut utraq; pars decem vel viginti millia &c. *ÆQUALE æqualitate Geometrica est*, quo adstringuntur pangentes proportionem virium ad auxilia mutua ferenda, ut potentior plura millia, minus potens pauciora, mittat.

§. XXXV. Si autem quærat, an æqualiter æquale fœdus prædicetur de utrâque hâc specie? Resp. quod magis propriè & primariò æquale æqualitate arithmetica tale sit. Plura hanc in rem qui desiderat BESOLDUM *Lib. II.*



1328

*Polit. c. VI. n. 16. LIPSIUM Lib. IV. Pol. c. IV. n. 47. HOENONIUM Disp. XIII. th. 5. 6. Aliosque, adeat.*

§. XXXVI. Referuntur ad classem primam majorum Regalium etiam Jus INVESTITURÆ s. INFEUDATIONIS, quo Majestas Feudatario, seu Vasallo, Jurisdictionem territorialem cum dominio utili, simulque Regalia, concedit. Quâ de re prolixius agendum esset, sed ratio chartæ jam non sinit.

§. XXXVII. Item: Jus EXIGENDI HOMAGII, quo Majestas in ingressu regiminis juramentum subjectionis & fidelitatis à subditis suis exigit, de quâ re videatur pluribus D. D. CHRISTFRIED SAGITTARIUS *diss. XXIX. laudati OTII JENENSIS.*

*Hactenus Regalia majora primi ordinis consideravimus, nunc breviter etiam reliquorum quæ sint ordinum videbimus.*

§. XXXVIII. Regalia majora secundi ordinis sunt (1) Jus NOBILITANDI, h. e. conferendi dignitates, non solum ob virtutes morales, propter merita in Remp., maxime fortitudine, vel etiam potentiâ, vel divitiis remp. labascentem juvando, quâ de re vid. Exc. THOMAS. *Tab. XLI. n. 1. & seq.* sed & intellectuales. Prioris intuitu creantur Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravii, Quatuorviri, Comites, Barones, Equites aurati, nobiles item in specie sic dicti; Quocum jure connectitur proximè meritò jus erigendi Academias, vel erectas ab alio privilegiandi, concedendi facultatum vel omnium, vel certarum Professores, item creandi Doctores vel in omnibus facultatibus vel solum in certis. Quâ de re vide prolixius differentem Dn. PRÆSIDEM *diss. VI. & VII. Tractatus politici, de Academicis omnium fac. PROFESSORIBUS.*

§. XXXIX. Pertinet huc etiam Jus LEGITIMATIONIS, quo Majestas tam naturales liberos, quàm spurios da-



manatove ex congressu progenitos per rescriptum legitimat, ut sint posthac legitimated, i. e. habeantur posthac pro legitimis civiliter, non autem naturaliter, ut *Politici* loqui amant.

§. XL. Porrò ordinis secundi dicuntur esse Jus DONANDI *annulos aureos & insignia familiae*: Item Jus *conferenda ingenuitatis*: ut & Jus *veniae etatis & habilitatis ad contrahendum*; Jus item *creandi Comites Palatinos*, ut & *Tabelliones* seu Notarios publicos, utut hodiè etiam certa inter hæc Comitibus Palatinis, ratione Exercitii, soleant communicari.

§. XLI. Sequuntur *Regalia majora tertii generis*, quæ alii, strictius, nec malè, locuturi, ad regalia minora referunt; Inter quæ est (1) Jus TRIBUTORUM imponendorum & exigendorum. Dicitur autem TRIBUTUM, ut videtur, à *tribuendo*, quod tribuatur Majestati, & à tribus singulis erogetur. Definitur à D. D. CELLARIO *in suâ Tab. Polit. XIII. n. 10. m. 2.* quod sit *reditus publicus, qui ratione bonorum vel personarum extra mercium usum dependitur*. Intelliguntur verò bona potissimùm immobilia, ut, fundus, ager, pratum, ædes, vinea &c. Commodius tamen fortè aliquis tributum describeret, quod sit *reditus publicus, qui ratione bonorum solvitur in signum subjectionis & speratae defensionis*; ut ita finis proximus exprimatur.

§. XLII. Est probè hic quoque notandum, quod, si dicendum, quod res est, *tributum non debeat imponi*, neq; exigi nisi de rebus, quibus patrimonium nostrum auctius redditur, & quæ sint in commercio, ut de accessionibus nostris atque lucris solvatur. Ita plures *Politici* docent. Improbatur hinc *Vespasiani* tributum, urinæ impositum; Improbant & plerique illud, quod de artis meretriciæ exercitio pendi jubetur. vid. CELLARIUS *Polit. succinct. cap.*



1390

XVII. §. 3. Unde & testante BODINO *Lib. VI. de Rep. cap. II.*  
LUDOVICUS *Rex Gallie* inter alias regulas filio hanc reliquit: *A vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis necessitatis ac utilitatis publicæ, justissima causa, ad hoc impulerit, aliàs magis tyrannus, quam Rex estimaberis.*

§. XLIII. Dividitur tributum in ordinarium & extraordinarium. Ordinarium ad principis sustentationem & usus publicos justè solvitur, idq; à Majestate salvâ conscientiam exigitur, quod & recta ratio suadet, dum caput sustentari debet. Extraordinarium urgente necessitate exigendum, nihilominus tamen (1.) moderatè (2.) sine crudelitate (3.) justa proportione, geometrica scilicet, observatâ, ut, qui plus in accessionibus & lucris habet, plus etiam pendat. De personis, quod exigitur, vulgò Capitatio *Kopff-Zins/ Kopff-Steuer/* nisi summa prorsus urgeat necessitas à Theologis non solum, sed & JCtis, improbatur.

§. XLIV. (II) Jus VECTIGALIIUM. Est verò VECTIGAL (à *vehendo* vel *vectura* sic dictum) redditus publicus, qui ratione mercium invehendarum (importandarum) vel evehendarum (asportandarum) aut eorum, quæ circa merces sunt, penditur. Differt *vectigal* à tributo, quod (1) tributum maximè solvatur ratione bonorum immobilium; *Vectigal* verò de mobilibus unicè exigatur: (2) Tributum exigatur à possidentibus & permanentibus subjectis; At verò *vectigal* à transvehentibus (3) ratione finis etiam differunt, dum tributum solvitur ratione subjectionis & speratæ defensionis; *Vectigal* verò ratione *viae publicæ meliorandæ* (ut loquuntur) & *servandæ*, ut & ibidem securitatis retinendæ.

§. XLV. Ab his pendendis libera sunt bona Ecclesiæ, & quæ his similibus gaudent privilegiis, ut sunt bona Studiosorum, libri & vestimenta, quibus hi indigent, quæ



dicuntur *Studenten-Guch*; Idq; ab imperatoriâ auctori-  
tate pro favore literarum, earumque cultorum, aliàs one-  
ribus & laboribus multis expositorum, singulariter con-  
stitutum. vid. DN. PRÆS. *Diss. IIX. de PROFESS. Acad.*

§. XLVI. Porro Jus MONETÆ, quo Majestas mone-  
tam in civitate suâ statuere, statutam abrogare vel immu-  
tare potest. Dicitur *Moneta à monendo*, quod videatur  
emptorem venditoremq; de pretio vel valore admone-  
re, quam Conringius definit esse corpus naturale ex insti-  
tuto humano valens omnia in civitate. Hic vir non de-  
nominat materiam ex quâ, an charta esse debeat, qualis e-  
rat apud *Catharinos*; An *corium*, uti apud *Spartanos*; Con-  
venientissimum tamē est *metallum*, cum, pereunte figurâ,  
debeat moneta esse ex numero utilium, *docente* ARISTO-  
TELE *Lib. I. Polit. c. IX.* sive stannum, uti apud *Syracusios*,  
sive ferrum, ut apud *Clazomenios*, sive *aurum* vel argen-  
tum, quæ duo convenientissima. Quis primus suâ signa-  
verit, effigie, & quali? Vid. *ap. D. D. CELLARIUM Lib. II. Po-  
lit. succ. c. XV. §. 14.*

§. XLVII. Huc referuntur ulterius Jus Ulnarum &  
mensuræ, ponderum; Item Jus NUNDINARUM; Tandem  
Jus MONOPOLII, quod tamen non nisi urgente necessitate  
suadetur exercendum. Quæ tamen pleraque ad minora,  
strictè loquendo, sunt referenda.

§. XLIIIX. JURA MINORA dicuntur JURA FISCALIA, rigide sic  
dicta, quibus fructus Jurisdictionis sublimis & proventus reli-  
quos indigitare amant, quosque redditus Camerales vocant. Quô  
spectat (I) *Jus Confiscationis*, (II) *Jus mulctarum*. (III) *Jus succes-  
sionis in bona indignorum*. (IV) *Jus successionis in bona, quo-  
rum Dominus nescitur* (V) *In bona deserta & inculta* (VI) *Jus  
in bona inventa, ut in thesauros*. (VII) *Jus in bona, in  
continentem terram ejecta.*

DEO SIT GLORIA,



1392  
**A** Emulus agricolae qui, vitae vere, labori  
non parcis, inessem sperabis laetus opimam,  
mi fautor! Certa est: toto hanc tibi pectore grator.

*Prae-Eximio Dn. Respondenti, Amico & olim commensali  
suo honoratissimo plurimumq; dilecto, de praesenti co-  
nato gratulatur festin.*

P R A E S E S.

---

**D**um quæris quid sit JUS MAJESTATIS? Amice!

En! docet hoc scripti pagina docta tui.

Egregium specimen studiorum! Laudo labores,

Quorum te quoque non poenituisse potest.

Haut etenim parum laudis tibi provenit inde:

Laus quæ non unquam sit peritura tibi.

Pressibus his igitur felix insistere pergas;

Sic fies patrio digna columna solo.

*Ita Per - Eximio Dn. Respondenti, Adfina & Amico suo  
certissimo nunquam cessantis fortuna indulgentia  
voto sine fuce gratulatur*

Zacharias Wirth / LL. Stud.

---

**E**gregium specimen stimulat tua pectora laudis,

Dum MAJESTATIS JURA sacrata doces.

Gratulor inde Tibi sincerâ mente, precorque,

Ut fructus capias quos labor hic meruit.

*Paucula hac in debiti amoris symbolum apposuit*

Martinus Ritz / J. U. Stud.

---

**I**ch weiß nicht was ich soll von diesem Werke schreiben/  
**D**och sag ich kurz wohin mich die Gedanken treiben;

Ein Vogel kriegt mehr Lust zu singen wenn er frey/  
Als wenn er eingesperrt. Daß es was grosses sey/  
Wann man soll mit Vernunft die jungen Jearn schnitzen/  
Ist kein Beweißthum noch. Man steigt des Pindus Spizen  
Mehr hurtig von sich selbst/ als wann den freyen Geiß  
Die schwere Slaveren mit sich zu Boden reiß.  
Und diß bezeugst auch du/ Freund/ dessen fluge Sinnen  
Die schöne Schrifft bewehr: Ich lobe dein Beginnen

Und



193 983  
AK 4564  
Und wünsche / daß gescheh' / was dein Haus hoffen kan /  
Das ohne mein Verdienst mir günstig zugethan.

Seinem hochgeehrten und vertrauten Freunde  
schrieb es

Chr. Friedrich Reiman / LL. Studiosus.

**W**er / wann der Sommer komt / wil volle Garben lesen /  
Muß in der Frühlings Zeit recht fleißig sein gewesen.  
Diß weiß Herr Ewald wohl / drum spart er keinen Fleiß /  
Weil noch die Jugend blüht. Diß ist der erste Preis /  
Der uns versichern kan / es werd in kurzen Zeiten  
Die Jugend mit der Kunst ihm einen Kranz bereiten /  
Den auch der blasse Neid muß lassen in der Ruh  
Und unverwelcklich stehn. Ich wünsche Glück darzu.

David Richter / Med. Stud.

**H**em! Macrocosmi quam meritò brevis,  
Synopsis audit stirpe hominum satus.

Quid namque visui per orbem  
Sistitur, hic simul haud videndam?

Mador Salenes hinc Elementaque  
Liquens cerebrum & temperies puta  
Quadrupla corporis Caterva  
Spirituum, vice gaudet Euri  
Fluenta venæ sunt, lapides, graves  
Sunt calculi. Quin hinc senii datur  
Iners hyems, æstas virilis  
Veraque tepens viridis Juventæ.

Id ultimum nunc egregius probat  
Autor, celebres ingenii sui  
Flores ferens ubi & renascens  
Germania prodit odora tellus.  
Quos flosculos ut laurus & ardua  
Sequatur olim palma Parentibus  
Ac Patriæ fructus & umbram,  
Huicque decus pariens precatur

Johannes Fridericus Mustaagk / LL. Cult.

☉:(o):☉

WDA



1326

testas, quae  
potestatis  
simè.

§.  
(a) int  
sentiale  
tum de  
jestas, qu  
tes?

§. IV  
tas const  
datur in  
rerum n  
tum inte

§.  
tate qua  
plex est)  
le propr  
virtutis  
solum ta  
grale, po  
quantita  
morali (c  
contradi  
potestas,  
quaeque  
tur.

§.  
plex; ve



at & reliquae  
ntur usitatis-

m, scilicet vel  
; vel ( $\gamma$ ) Es-  
m, vel ( $\epsilon$ ) to-  
quale sit Ma-  
states sint par-

le.

,cujus quanti-  
adeoque hoc  
nstitutionem  
t Majestas to-

, pro diversi-  
quantitas du-  
olis, integra-  
e quantitatis  
*καὶ ἀναλογία*  
totum inte-

Cum enim &  
, h. e. virtute  
rtuti naturali  
s constituatur  
aggregatum,  
tegrale dice-

terum est du-  
jusdem ratio-  
nis &

